

FERRARIA DVCA TV S.

*Caelius Calcagninus*, orator & poëta, *Lilius Gregorius Giraldus*, Latine Græceque doctissimus, & memoria tenacissimæ; *Ludovicus Bigus*, poëta; *Alexander Guarinus*; *Gaspardus Sardus*, historicus. Planiciem habet circa se maximam, sed sterilem. Visuntur in Agro Ferrariensi nobiles pagi, inter quos *Francolinum*, *Corbula*, *Crispinum*; *Fossa Pelafella*, *Orcanus*. Pergenti per Padi ripam occurrunt pagi, *Pons Lacus obscuri*, *Oculus Bellus*, & alii.

Extra urbem ultra Padum insula est *Calopsis*, vulgo *Il Bevedere*, quinque mill. spacia continens, angusta & in longum protensa, cujus secessu maxime delectatus fuit Dux Alphonsus. In ea rota est, qua aqua extrahitur in vas æneum, & inde in omnes partes domus derivatur. Balneum cum ponte, per quem incautius ambulantes in aquam decidunt. Fonticulus; sylva arboribus in quincuncem dispositis, hortus, vinea, ambulatio. Sylva adhæc peculiaris feris destinata. Videas in ea asinos Sardos corpore minimo, sed Italicis valentiores: itidem gallinas Indicas, aliaque animalia rara multa. Sed de hac urbe quicquid dici potest, id multis in locis elegantissimis versibus scripsere Titus & Hercules Strozæ; & Nicolaus Reufnerus.

*Principes  
Ferrariensis.*

Principes enumerat à primo origine Leander Albertus, idque ex quodam non inelegante vitæ Comitis Machtildis scriptore. Tradit is filios Gaini Ponterani Comitis Galli, quos in Francia morari patre mortuo pudebat, convasato quantum ad sportari poterat, clam inde in Italiam profectos, & juxta Montanianam haud procul à Scorsia, quoniam locus placuerat, Patavino in agro confedisse, ac deinde procedente tempore fundis coemptis honeste egisse vitam, donec Carolum Crassum Imperat. iter hac agentem honorificè exceperunt, simulque ab eo agniti Marchiones Scorsia & Atestis creati sunt, anno post C.N. DCCCLXXXI. Ab his

Ferraria Principes originem trahere asserit, quos hoc ordine recenset. Primum Azonem Albertum nominat, qui Fulconem & Vgonem procreavit: Vgo Opizonem, posteaque Albertum secundum, item Azonem secundum: à quo generati Aldobrandinus, & Azo tertius, quem Anconæ Marchionem Innocentius III Pontifex Max. creavit, ob pulsos Celanenses Comites Ecclesiæ Romanæ hostes. Ex hoc Azone natus Raynoldus, qui obses Friderici secundi Imp. fuit, & in Apulia decessit, Guilielmo filio in custodia & amicitia suscepto, & Opizone secundo & Iusta uxore, qui annorum xvii patri in Principatu successit, procreato. Ab hoc deinceps Azo quartus, Franciscus, & Aldobrandinus secundus. Ab Azone Franciscus, itemque Frisco nothus geniti. A Francisco Azo quintus, Thadæus, & Bertholdus. At hi principatu non sunt potiti, quoniam pulso Friscone, qui dominatum raperat, Aldobrandinus imperium est nactus. Is Opizonem tertium genuit. Opizo filios tres, Aldobrandinum tertium, Nicolaum Claudum, & Albertum secundum. Alberto Nicolaus successit. Nicolao Leonellus & Borsus nothi, quam & justos liberos idem reliquit, Herculem atque Sigismundum. Leonellus Nicolaum justum filium habuit. Borsum fato ereptum Nicolai filius Hercules secutus, quantumvis hac lege Leonellus Borsus Principatum reliquisset, ut cum Nicolao filio suo restitueret. Ab Hercule procreati Alfonsus, Ferrandus, Hippolytus, itemque Iulius nothus. à Sigismundo Hercules & Guro nothi. Post Herculem Nicolai filium Alfonsus dominatum tenuit. Post eum Hercules secundus filius. Ab Hercule Sigismundi justus filius progenitus Sigismundus alter. Ita (inquit Leander) in auctoris illius monumentis traditum invenimus, itemque in aliorum, ac etiam in Ludovici Ariosti Orlando Furioso.

